Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

1389

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigesima quarta Januarii.

M. PETRO PERREAU, Doctore Medico, Præside.

An præcavendis tum corporis tum animi morbis aquæ potus?

PAUCIS hominibus longa datur vita, paucioribus jucunda & salubris, nemini immortalis; non priùs enim homo incipit vivere quam mori, propter primordiorum, ex quibus constat, repugnantiam & insiti caloris efficientiam, qui eâdem manu ipsum fovet & conficit, ut qui auctor est vitæ idem sit & necis: jugiter quippe depascitur triplicem illius substantiam spirituosam, solidam, & humidam: cui ad aliquot annos reparandæ tria subministrat natura, aërem, cibum, & potum; quorum, pro vario delectu, maxima sunt ad infligendos morbos momenta, præsertim cibi & potûs; cum ab aëre plerumque nulli excitentur, nisi consentiat corporis & humorum constitutio, cibi potûsque qualitatum æmula.

ALENDO corpori & resarciendæ quæ in dies deteritur & effluit illius substantiæ, cibum potu permixtum apparant adornantque viscera suo quo pollent calore; is naturæ legibus mitis est, halituosus, ac multo humore perfusus: hujus assumpti loco succedit siccitas, quâ veluti limâ acuitur & voracior redditur. Inde non mites sed acres succrescunt succi, fœcundissima plurium tum corporis tum animi morborum semina, quibus præcavendis omnis inhibeatur siccitas peregrini caloris comes individua: unà servetur viscerum mollities blandusque calor. His tota ratio vitæ salubris & ab omni morborum tyrannide immunis terminatur. Hoc everso ut vitæ, sic totius artis fundamento firmissimo tota ruit sanitatis ac benè medendi ratio.

IN eam rem cibi sed maximè potûs fiat delectus, qui facilè meabilis momento suas vires effundat, unde vis ejus ad immutandum corpus longè efficacior majorque potestas. Omnis vel est aqua vel vinum; hoc cereale, fructuarium & vitis, cerevisiam, pomaceum, & vinum propriè appellant. Cerevisia mesenterii vias meatusque suo lentore & crassitie infarcit; pomaceum excrementitiæ humiditatis redundantia coctiones interturbat; vinum voluptarium illud venenum insigni quô valet ardore ipsam partium vivacitatem exhaurit uritque vitalia leni semper humore irriganda: insuper sensus omnes obtundit, mentem obumbrat, memoriam insigniter lædit, spiritus, humores, ac universum corpus inflammando, omnes animi impetus reddit effrœnatiores.

AQUA, saluberrimus ille naturæ potus longè dissimiles promit effectus: vi refrigerandi & humectandi, quâ pollet, æstuantem stomachum recreat & cætera, quæ præparant cibos viscera, plus æquo calentia temperat, ac voluptate frigoris perfundit, spirituum & humorum fervorem reprimit, insitum cuique parti calorem ac innatum humorem conservat & utriusque dissipationem remoratur. Unde multò vegetior ille fit & hujus substantia longè firmior: hinc ciborum major appetentia, ventriculi validior concoctio, temperatior sanguis, solidius virium robur; ut immeritò vinum censeatur aut ad sanitatem, aut ad robur corporis, utile.

NON minùs illud terræ lac beneficum, unicus prudentiæ potus, animi quàm corporis morbos antevertit: inde enim spiritus, caloris, & omnium animæ facultatum vehicula, puriores, splendidi magis, ac illustres: inde rerum species, tanquam specula lucida, occursant menti sine tumultu, percipiuntur sine errore, asservantur sine detrimento, nec lapsu temporis delentur sed vigent; ut abstemii sint acutissimo ad res investigandas ingenio & purgatissimo ad easdem componendas æstimandasque judicio; eâque demum memoriâ, quæ sibi credita sunt rerum idola, pari, quâ accepit fide repræsentet, hancque præ cæteris laudem mereantur, ut varias animi perturbationes, quibus tanquam levioribus morbis sanitas corporis & animæ convellitur tutiùs moderentur, & eâ ratione ipsis sit mens sana in corpore sano.

Ergo præcavendis tum corporis tum animi morbis aquæ potus.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes-Michaël Garbe.
M. Bertinus - Simon Dieuxivoye.
M. Ioannes Boudin.
M. Guido - Erasmus Emmerez.
M. Michaël de Hodencq.
M. Poncius Maurin.
M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Perreau.
M. Bertinus Dieuxivoye, Censor.

Proponebat Parisiis URBANUS LEAULTE', Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.